



## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati  
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos  
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati  
restituta, & indicibus locupletata

De Sanctis

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXX**

Exegesis Euangelij Matthæi II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47060](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-47060)

niolarum corporis pudorem: & in ore ipsorum non est inuentum mendacium. Non enim potuerunt adduci villo suppliciorum genere, ut dæmonum idola mentiretur deos esse, sed veritatem conquantissime professi sunt. Quod ad nostros beatissimos innocentes martyres attinet, eos quidem certum est nullum vñquam mendacium protulisse. Sine macula sunt ante thronū Dei: qui tametsi originis maculam contraxerint, tamen vel circuncisione, vel sanguinis sui effusione penitus sunt expiati. O beatos & verè immaculatos paruos, in quibus nihil habet vitij, qui ante pro Christo & Deo occisi sunt, quam vllam vel Christi vel Dei noritiam hakerent, quos sibi Christus in hunc mundum editus martyrum suorum primitias consecravit, & parvus adhuc paruos collegit, tanquam iam tum diceret: *Sinite paruos venire ad me, et talum est enim regnum celorum.*

## EXEGESIS EVANGELII IN EODEM FESTO

Matthai II.

**I**N huius diei Euangelio luculenter nobis describitur tum ipsius Domini vix dum nati eiusque mœstissimæ matris durum & miserabile exilium, quod ob declinandam Herodis reguli fœnitiam Rex cœli & terra proper nos infirmos tolerare voluit: tum beatissimorum paruolorum crudelis ac inhumana necatio, quos idem Herodes humana quidem vñs calliditate, sed plusquam belluina feritate neci dedit eo consilio, quod se speraret inter cœteros etiam illum quem quærebat, sed ignorabat, infantem posse perire. Atque o quanta est humana versutia contra Dei consilium. Vnū Christum molitur extingueare, & non solum Christo nihil nocet, sed etiam illos quos se occidisse putauit, potius ad vitam misit coronandos. Inter hæc dilectissimi id primum debetis aduertere, quam tener Dominus noster Iesus Christus huius mundi persecutio & odia ac iniurias cepit experiri, quā ab ipso matris vtero pro nostris peccatis Deo Patri satisfacere innumeris perferendis incommodis, subeundis laboribus, tolerandis penit & cruciibus sit exorsus. Verum ad ipsam iam Euangelij explanationē accedamus.

Angelus Domini apparuit in somnis Iosephi, dicens:

Posteaquam enim puerum Iesum in templo obtulerant parentes eius, iam redire parabant in Nazareth. Sub idem autem tempus Deus misit Angelum suum, qui diuini adhuc ignarum consilij sanctum Iosephum admoneret, vt cum puer & matre eius secederet in Aegyptum. Factaque est hæc apparitio sub specie seu visione imaginaria. Solent enim in somnis fieri diuinæ revelationes, quod tum sensus vident, & phantasia quietior sit. Sapientiam autem huic beatissimo patriarchæ Iosepho Angelus Domini apparuit. Reuelationes quando potissimum fieri solita sunt. Se legitur, neque id immerito: quandoquidem præcellentis meriti virum eum fuisse multa declarant: vnde iam nonnihil obiter dicturi sumus. Et iustum quidem eum fuisse etiam ante natum Salvatorem, Euangeliista Matthæus testatur. Quod si attendas verissimo matrimonio iunctum cum fuisse sacratissimæ virginis Mariæ, qua nihil vñquam sanctius mundus habuit: Matth. 1. Ioseph ex-cellēta quā- quequé mox Deum paritura erat, nonne hoc ipso omnino persuadere ta fuerit. tibi cogeris, nunquam id Deum permisurum fuisse, nisi illi tam singulare virgini & corporis ac animi pudicitia, & morum integritate & vice

○ 2 Sancti-

sanctimonia maximè consimilis fuisse, atque ob id dignus planè, qui filij Dei nutritor & pater putatius, tanq; virginis coniunctus fieret? Credamus ergo (nam id quoque ad Saluatoris nostri cedit honorem) hunc reuerendissimum virum virginitate purissima, humilitate profundissima, tunc Dei, tum proximi amore feruentissimo, contemplationis gratia haud vulgaris, salutis animarum zelo vehementissimo, multisq; alijs præclaris virtutibus & charismatibus instar sponsæ suæ sacratissimæ virginis Mariæ prædictum fuisse. Et quia diuinis abunde illustrata fulgoribus virgo beata cum sibi sponsum & virginitatis suæ custodem ac vitæ solatium, itemq; nutritum ex se nascituri filij Dei diuinitus datum optimè nouerat, omnemq; interioris hominis eius statum non ignorabat, nihil ambigi potest, quia eum castissimè & feruentissimè dilexerit. Quomodo enim non posset modo non vehementer amare, sed etiam præcipua in veneracione habere eum, cui præ cunctis mortalibus id à Deo honoris delatum cerneret, vt filius eius custos & nutritius esset? Quis verò cogitare sufficiat quam dignitas pro illo ad Deum preces sèpè fuderit, quantumq; iisdem suis precibus illi profuerit apud Deum? Si enim virginem sacratissimam omni gratia & virtute plenam fuisse credimus, qui fieri possit, vt cum continuis vteretur beatissimi Iosephi seruitijs, non rursum illi quicquid potuerit præstiterit, maximè apud Deum, feruentissime pro illo obsecrando, vt Deus in eo sua dona magis ac magis augmentaret? Nam nisi ita egisset, posset ingratitudinis arguunt ab ea semper longissimè absfuit. Iam si diligenter perpendas tam diuino eq; perpetuo & admodum familiari vsum tantæ virginis & ipsius quoque filii Dei contubernio, habes nimis rationem efficacissimam, qua si cogaris credere in omni virtute in dies misericordie eum profecisse ac summe perfectum fuisse. Si enim cum sancto sanctus & cum innocentie innocentia, quomodo ille non sanctissimus & innocentissimus habendus est, qui cum sanctissimis & innocentissimis puta matre Dei, & Filio Dei, cui usque ad ultimum spiritum, vt pater officio, & nutritius beneficio conuixit, assidue versatus est? Porro si attendas eundem Dei Filium eidem reverendissimo viro & beatissimo patriarchæ semper promptissime obtemperasse, ac ei opere patri reuerenter deculisse, sapientius quoque eum dulcissime amplexatum, osculatum consolatum fuisse (Hæc enim omnia pia mens libere secum cogitare potest) omnino sentias oportet, non potuisse non summo eum dignitatis amore accendi, qui tanta tam stupenda & cunctis inaudita seculis in se exprimitur beneficia Dei. Non enim fas est putare filium Dei non maximis eum affectuisse beneficijs, cuius erga se perpetuum eamq; ineffabilem curam, solicitudinem, ministerium experiebatur. Quam etiā curam & solicitudinem beata Virgo manifeste in eo deprehēdit, quando filium suum suamiserat. Vnde postea eidem inuenio sic ait: *Pater tuus & ego, dolentes quid bamus te.* O quid non doleret venerandus patriarcha amississe Deum ac Dominum suum in quem unum tortum cordis, & spiritus sui amorem contulerat? Denique si Omnipotens Deus ei quem ad aliquem statum vel officium eligit, etiam cuncta gratia sua dona illi vel statui vel officio necessaria infundit, hunc beatissimum Iosephum ad tantam elegit dignatem, vt filij sui patrem eum secum vellat haberi, efficax hinc ratio summa potest.

**Amor inter  
sanctam Ma-  
riam & diuū  
Iosephi quam  
fuerit castilli-  
mus,**

**Ioseph san-  
ctitas qua-  
ta fuerit.**

**Psal. 7,**

**Conversatio  
pueri Iesu cu  
Ioseph qua-  
lis fuerit.**

**Luc. 2.**

potest, summis eum & præclarissimis virtutibus ornatum fuisse. Non enim decuisset talem ac tantum filium, patrem quamvis putatium se indignum vel saltē minus dignum habere. Minus dignus autem videri poterat, si nō omni virtute admodum præcellenter instruētus atque decoratus fuisset. Sed haec tenus de tanti patris sanctitate & præstantia singulari dictum est satis. Vtinam eum mercamur habere propitium apud Deum. Tali igitur tamquæ Matth. 9. illustri patriarchæ Angelus Domini in somnis apparuit. Sed cur non potius ipsi virginis & matris Saluatoris? Potest dici, quod Spiritus sanctus in hoc deferre voluit sancto Iosepho, ut qui à Deo ad id electus erat, ut tu Saluatoris, tum Matris virginis curam gereret, etiam diuinitus, qua id ratione fieri opoteret, edoceretur? Quid autem angelus sancto Iosepho mandauerit, sequentia verba declarant.

Surge, & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Aegyptum.

O verè triste nūtium, ipsi quidem S. Ioseph graue, sed virginis matri, præsertim tam teneræ, tam verecundæ longè grauissimum, idquæ non tam sua, quam infantuli Iesu, cuius vicem summè dolebat, causa. Surge inquit. Non licet Filio Dei in illa tam tenera ætate vel quietum somnum capere, iubetur sanctus Ioseph è somno surgere. Ergo non poterat Deus Pater Filiū suum tueri, nisi in tenebris fugientem? Sed nolebat parcere amantissimo unigenito suo vt nobis miseris, nobis perditis parceret. Vide in hoc ipso immēsam erga nos charitatem Dei, vt scias quantum illum amare, quām illi gratus ess̄ debeas. O quām verum est, quod per prophetam quendam ipse dicit: Diligam eos spontaneè? & per alium: In charitate perpetua dilexite ideo atra Ossez 4: xi te miserans. Quomodo enim nos vñquam mereri potuissimus tantam Hierem. 3:. erga nos benignitatem Dei, nisi quia ipse suapte sponte, ac gratuita bonitate sua tamē se erga nos præbere voluit? Simil autem consideres hic velim, quām molestum fuerit tum matrī virgineæ, quā plus minus sextum decimū tamē annū tum agebat, tum Domino Saluatori adhuc tenerrimo infantulo, tum ipsi venerando seni Ioseph, tam longinquum & iugotum carpe iter. Vides nimurum, ut Saluator piissimus in ea ætate, quē omnis laboris & doloris summè impatiens est, laborem & dolorem molestissimum coepit. In qua sua x-  
tate Christi pauperima &  
fuga in Aegyptum  
stus pati  
coepit.

Attende singula curiosius, Ioseph admotus ab angelo confessim surgit & matrē excitat. Illa totis concussa visceribus anxia & tremens arripit parvulum Saluatorem & iter accelerat. Puer ita præter solitum excitatus moestos edit vagitus, non tam sua incommoda, quām nostra demerita lugens. Ad hoc enim venerat, ut suis immeritis penitē & laboribus nostra peccata aboleret. Ita iam in tenebris incipiunt proficisci. Interim nulla hic fit mentio alicuius magni apparatus, non famulorum, non curruum, non equorū, quā fuerit, sed Filius omnipotentis Dei cuncta paupercula virgine, & simplici sene iter ingrediuntur, relicta patria, relicta domo, relictis notis & cognatis omnibus. O vos qui semper mollia queritis, & nihil vñquam molestia perpeti vultis, huc queso oculos animumq; aduertite, ut vel tanto admoniti exemplo discatis propriæ salutis causa vel parū aliquid perperi, cuius gratia Dei

o 3. Filius

Filius tanta perferrere voluit. Vos delitias expeditis, easque indebitas: non enim decet in exilio voluptatibus operam dare, ille cum omnium esse Dominus, & eo nomine omni commodo & quiete dignissimus, tamen duræ aspera amplexus est. Sed quid libi vult, quod in Aegyptum Dominus ministratur? Ut scilicet impleretur S. Esaiæ vaticinium quo ait: Et Dominus asende super nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & mou-buntur simul abr. Aegypti facie eius: atque ut hoc ipso ostenderetur eum, quem impij Iudei non eripi recepturi à genribus suscipiendum: quod etiam post eius mortem & ascensionem euidentissime impletum est, hodieque impletur, quando innumeris in ignotis orbis partibus summa cura auditate Christi fidem amplectentur, & Saluatorem mundi ingenti cum furore excipiunt.

Et isto ibi usque dum dicam tibi.

Hæc verba spiritali significatione non carent. Solet Omnipotens Deus quædoque seruis suis subtrahere omnem deuotionem & gratiam sensibilem, omnem pium affectum & illuminationem internam, & in tantis eos relinquare tenebris ut sibi videantur relicti à Deo, perinde ac si nullam illius rationem notitiam haberint. Interim etiam graues & horrendæ spæcè accidunt tentationes, quales commemorare forte nec expedit propter inexpectos. Iti ergo in Aegypto degunt, quamdiu tali in derelictione versantur. Sed quidam impatientes, dum diuinā sentiunt abesse consolationem, viam & temporiam inordinatè auctiupantur. Tales seipso liberare volunt, ne expectant donec diuinitus liberentur. Faciunt igitur contra hanc admonitionem Angeli, imo Spiritus sancti dicentes: Esto ibi usque dum dicam tibi. Cum enim gratia sensibilis non arridet, sed tenebrae & torpor quidam hominem occupant, non debet ex vita huius noxijs oblectamentis remedium ac leuamentum querere, sed fideliter perseverare Deo ac Domino semper in animo suo propositam sibi gerens illam Apostoli sententiam: Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod possest, sed faciet etiam temptatione prouentum, ut possit sustinere: sicque æquanimiter praestolari, donec vivum sit sancto Spiritui ex eiusmodi eum tenebris educere, & reuocare in terram Israel ubi iam Deum & diuinam cognoscat & contempletur, ac folia gratiae affluentia visitetur, & piæ deuotionis affectum recuperetur.

Futurum est enim, vt Herodes querat puerum ad perditionem dum eum.

Videmus hic dilectissimi, quantum malum sit execranda ambitio. Herodes iste homo alienigena, apud Iudeos dominium atque regnum præordinem obtinuerat. Itaque ubi didicit ex Magis natum verum Iudaicorum heredem & successorem, veritus ne si à populo agnoscatur, ipse tamquam regni inuasor depelleretur, mox animum ad infans illum extingendum adiecit. Atque ea de caula Magis persuasit, ut irent puerum exploratum, ac deinde si quid certi comperissent, ad ipsum referrent, ut & ipse puerum adoraret, imo verò prorsus neci daret. Ita eum iam occupauerat quidam licet iniqua & indebita dominandi libido, ut contra fas & ius omnino noxiū parvulum, quanvis legitimū Israelitarū principem extingue-

Matth. 2.

Ambitio in  
que mala ho-  
minem præ-  
cipiter.

re sit molitus. Quod vt facilius posset, simulatum spondet obsequiuū, & eu-  
ius interitum animo iam conceperat, eis se supplicem fore confiteretur. Ita vt  
possit in regno perseuerare iniūctus, libenter Dei legem & præcepta conte-  
minit. Quām pulchro sane in hoc ipso hypocitarum typū gessit, qui cum cuiusmodi  
nihil minus appetant, quam debitum præstare cultum omnipotenti Deo,  
tamen vt humanam capient gratiam, & hominum laudibus vehantur, o-  
pesib; & honores accumulent, interim foris, quædam ostentant recte  
facta & studia pietatis, quæ, nisi eiuscmodi iam dicta sperarent, nunquam  
sestantur. Verum vt Herodes Christum, quem falso se adoratūrum pro-  
miserauit, nunquam inuenit tametsi regnum retinuit, ita & hoc hypocrita-  
rum genus nunquam veram potest adipisci salutem, cuius autor est Chri-  
stus Iesus, eo quod facta tantum & simulata eam querant, licet saepius quadā  
præsentis vitæ momentanea prosperitate patiantur, sed in exitium dun-  
taxat suum. Cœueamus ergo dilectissimi ambitionis & hypocrisy execrāda  
flagitia. Honores & mundi prosperos successus despiciamus potius quam ap-  
petamus. Nam vana sunt & periculis plena. Ita fieri vt non solū non inuidie-  
amus, nec quicquam mali machinemur ijs, quibus hæc arrident, sed po-  
tius miserearum ac condoleamus, tanquam in maximis periculis consti-  
tutis: nosq; fælices iudicemus, vt quibus tantis malis carere liceat.

Roman. 8.

Obiter circa hæc Euangelij verba monendi estis charissimi, vt ne quis  
frangatur ex vobis si dum quippiam boni agere instituit, mox aduersis af-  
fligatur. Ecce enim ipse Dominus Iesus Christus vt nos ad perseverenda hu-  
ius vitæ mala corroboraret, statim ab ipso vitæ sua exordio persecutio-  
nibus fatigari voluit: vt scilicet sua patientia nos ad malorum toleranti-  
am prouocaret. Semper enim omnes conatus boni habent præsternum in  
initio difficultates & molestias multas: sed propter eas desistendum non est,  
imo vero tanto virilius perseverandum, Non enim sunt condigne passiones hu-  
moris temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.

Qui consurgens, accepit puerum & matrem eius nocte, &  
fecellit in Aegyptum. Et erat ibi usque ad obitum Herodis,  
vt adimpleretur quod dictum est à Domino per prophetam  
dicentem: Ex Aegypto vocavi filium meum.

Habemus hic perfectissimæ obedientiæ exemplum. Poterat sanctus Io-  
seph respondere angelo: Puer tenerimus est, & mater itidem tenera ac de-  
flicata puella: fortassis in itinere præ labore deficient: nec habemus vitæ suæ fu-  
lentia nuda necessaria, & terra illa cultui dæmonum dedita est. Sed his omnibus  
omisissis ac tacitis, sine villa vel calcitratione vel dilatione ad iter se accin-  
git. Discamus ergo & nos promptam exhibere obedientiam tum Deo, tum  
superioribus nostris. Hæc enim ad eruditionem nostram scripta sunt, vt  
quicquid vel Deus, vel superiores nostri sufferint, sciamus obediendum no-  
bis esse, etiam si interdum minus rationabile videatur. Ipsa autem obedi-  
entia quanto fuerit velocior, tanto semper & Deo gratiior & nobis fructu-  
osior erit. Manet autem S. Ioseph in Aegypto cum paruulo Dei Filio eiusq; pu-  
dicitissima matre usq; ad obitum Herodis. Ergo sane diuturnū fuit illud exilium.  
Posset hic pia fieri inquisitio, quid interim egerint in Aegypto, vnde vixe-

Obedientia  
perfectæ for-  
ma ubi dileca-  
tur.Obedientia  
quibus &  
quando præ-  
standa.

112  
rint, quo hospitio vni sint, aliaq; huiuscmodi: sed satius est, ea vnicuique  
cum studiose meditanda relinquere. Habent enim piam & dulcem validam  
considerationem: nec fructu suo defraudabitur, qui quis exilium Domini  
sui matrisq; eius sanctissima libenter erit meditatus. Homines mundo de-  
diti & fastidiosi talibus non capiuntur, quia vani sunt.

Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, & ita  
tus est valde: & mittens occidit omnes pueros, qui erant in  
Bethleem, & in omnibus finibus eius, à bimatu & infra, se-  
cundum tempus quod exquisierat à Magis.

Psalm. 68.

Matth. 2.

Lucas 1.2.

Tyrannis  
Herodis  
impij quan-  
ta fuerit in  
parvulos.

Christus vti  
pariebat in  
pueris pro  
eo acci datis.

Innocentes  
singulari  
martyri glo-  
ria sublima-  
tos in calis.

1. Corin. 12.

Magi in somnis admoniti ne redirent ad Herodem, per aliam viam re-  
uersi fuerant in regionem suam. Quod quidem principio Herodes ita in-  
terpretabatur, ut putaret eos illusos, & eam ob rem non fuisse auros redire  
ipsum. Postea vero quam rumor sparsum de illis que circa Domini ortum  
ac præsentationem in templo euenerant, dilatari cepit, peruenientia ad au-  
res regis quid pastores, quid S. Simeon & Anna de nato Salvatore retulisse,  
persuasit tibi Magos, ut ipsum fallerent, tem ei certa indicare noluisse. Quo-  
propter ira inflamatus, communè in cunctis Bethlehemiticis & locorum  
circumadiacentium parvulos tyrannidem exercuit, & qui puerum suspe-  
ctum nescire, saltante inter alios vel incognitum trucidare. Quod tam  
non est assecutus, tamen tanta crudelitate vehementissime pessimum co-  
parvuli Salvatoris afflxit, torto illud acerbissimi doloris confudit gladium  
quot infantes propter ipsum occidit. Partebatur enim ipse in omnibus illis

tanquam membris suis, quorum cruciatum & mortem sine maximo tor-  
mento sentire non potuit. Sed & parentibus atque cognatis parvulorum  
maxime maribus ex animo condolebat. Neque ab hoc tum dolore, tum  
condolentia Virginem beatissimam immunem fuisse credendum est. Occi-  
dit autem omnes pueros à bimatu & infra, id est, ab infantibus duorum  
annorum usque ad unius noctis. Non tamen statim post Magorum disci-  
pulum eos occidit, sed iam anno euoluto, cum ab Augusto redisset. Quæ causa  
fuit, vt etiā in infantes majoris aetatis defuerint. Posset sanè piè credi hos be-  
atissimos parvulos, qui singulari quadam prærogatiua pro ipsa Christi  
persona, quod de nullo alio martyre legitur, occisi sunt, dum alij marty-  
res pro fide & Charitate Christi perempti sunt, haud vulgarem ob id ipsum  
in caelesti patria gloriam & beatitudinem adeptos. Cum enim in parente  
Christi personam sustinuerint (non enim alium nisi ipsum Christum Ho-  
rodes cupiebat interficere) citra absurditatem, absque tamen temeraria asser-  
tione existimari licet, eos quoque præmium sue donum quoddam pre-  
cellens ac eximium, quod eiusdemmodi per perspicaciū respondet, percipere  
Si huius rei queris rationem, audi Apostolum dicentem: Diversiones gratiarum  
sunt, idem autem sp̄ ritu, diu dens singulis, ac distribuens dona sua prout rati-  
onē Christus ergo qui propter se illos occidi permisit, non poterit etiam suā  
benignitate singularē quoddam eis conferre præmium? Noli in eis exqui-  
rere merita, quos Christus sua gratia præuenit. Parvulus editus in hanclae-  
cum parvulos sibi asciuit, electos ante lecula, tanquam flores quodam ca-  
lestes & infantia suæ sodales charissimos, qui sicut pro Christo primi occi-  
sunt;

Tant, ita videntur etiam abunde redemptoris gratiam participasse.

Tunc adimpletum est, quod dictum est per Hieremiam Prophetam, dicentem: Vox in rama audit a est, ploratus & vlulatus multus, Rachel plorans filios suos. Et noluit consolari, quia non sunt.

Probat sanctus Euangelista scripturæ autoritate longè ante hoc beatissimorum parvulorum martyrum esse prædictum, sicut & alias scriptura testimonia adhibet, idque eo libenterius, quod Euangeliū suū Iudei hebraicè scriberet, quos putabat etiam diuinorum voluminum sententijs ad credendum promouendos. Quod autem dicit vocem in rama auditam, in excelsò intelligendum est. Cum enim multi occisi sint infantes, atque parentes multi suis orbi liberis, communis multorum clamor & planctus exortus est, qui etiam caelos posset attingere. Porro quod Rachelem dicit plorasse filios suos, cum Bethleem sit in tribu Iuda, quæ ex Lia potius orta est, de locis adiacentibus, in quibus etiam multi occisi sunt, accipiendum est. Constat enim Rachaelem haud procul à Bethleem sepultam: & ideo ratione sepulturæ mater eorum dicitur, qui illis in locis perempti sunt. Siue etiam quod tribus Iuda & Beniamini finitima sunt: atque ita dum nō modo Beniamini in Bethleem, quæ ad tribum Iuda pertinet, sed & in omnibus finibus eius, tribus unde quos etiam tribus Beniamini quæ ex Rachele duxit originem, attingit, occidit. fi dicuntur. Rachel suos plorasse fertur si iros per Syncedochen. Et noluit consolari, quia non sunt, quod potest duplēcē habere significationem, vel quia non sunt superstites, vel quia non sunt extinti, sed potius martyrij beatitudinem adepti. Dubium autem non est, quin dolor vehementissimus & qui nullam ferme consolationem admitteret, illorum infantium matres inuaserit. Sed Herodes impius diuinam non euasit vltionem. Nam & ipse Herodes suis liberis miserabiliter orbus est, & sua manu se interemiserit, ni fuisse à innocentes quodam præpeditus: breui tamen poitea obiit ut Iosephus refert, super omnes infelicissimus. Non enim dignus erat diuinam euadere vltionem, qui suis fit. sine villa ratione innoxios parvulos tam immaniter trucidarat, & missum mundo Salvatorem ante extinguere voluit, quam id cuius causa missus erat, id est, humani generis liberationem perfecisset.

## SERMO IN EADEM SOLENNITATE.

Ut mundi huius proffera tanquam pernicioſa contemnda, & ad uerſa cœū ſaluberrima amplectenda ſint: & de paruolo- rum innocentia, simplicitate ac humilitate ſectanda.

**S**urge, & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Aegyptum, Matth. II. Quod Dominus noster Iesus Christus ab ipso virtute exordio præ omnibus delicijs & commodis temporarijs, incommoda, miseriā, laborem & dolorem amplexus est, magno mysterio & ſaluberrima institutione ac efficacissima persuadendi ratione non vacat. Non multis opus est libris, vnde

P diſca-